



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

Secunda ratio cur homo macrocosmus appellandus. Colloquium LXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)



prædicare est, qui quodammodo  
 omnis creatura appellatur, quia in  
 se continet habetque vniuersa, que  
 creaturis singulis singula fuerunt  
 impertita. Maneat ergo nunc non  
 micro sed macrocosmum hominem  
 videri esse appellandum, quippe  
 cum vniuersas mundi partes ipse  
 complectatur.

---

*Secunda causa, cur homo macrocos-  
 mus videatur appellandus.*

COLLOQUIVM LXV.

PHIL.

**N**VNC quoniam admodum  
 illud tibi placere intelligo,  
 vt ex re tua familiari meam  
 ego faciam ac locupletem, adducor  
 sane non grauatè, vt nostrum hunc  
 quem architectamur mundum, ex  
 Aristotele argumento petito au-  
 geam exaggeremque: ait namque  
 ille intellectum hominis certo  
 quodam modo omne esse, quippe  
 qui forma formarum sit, quemad-  
 modum manus omne etiam ali-  
 quod ens, cum instrumentum in-  
 strumentarium vulgo audiat & ap-  
 pel-

*Arist. 3.  
 de anim.  
 6. 7.*



pelletur. Volebat videlicet Philo-  
 sophus ille dicere, intellectum ho-  
 minis instar tabulae rasae primum  
 esse, & si nihil obstet atque impe-  
 diat, cognitionem omnium in se re-  
 rum habere aut habere posse: quae si  
 adsit, iam naturam habet rerum  
 cunctarum impressam sibi penitus  
 atque insculptam. Nam quemad-  
 modum oculus nullos non colores  
 in se recipere potest, sicut nulla non  
 lumina, nullas non imagines, al-  
 bum, nigrum, lucem solis, lunae, pi-  
 cturam Alexandri aequè ac Caesaris:  
 & quemadmodum imagines quas-  
 dam spirituales omnium eorum in  
 se efformare potest, quibus pro ob-  
 iecto utitur, & in quae acie sua fer-  
 tur, si quidem color ille corporis  
 cuiuspiam quem in se recepit, in eo  
 corporeus non est, sicut in corpore  
 colorato, sed spiritualis, sed haud a-  
 liquanto elegantior: ita Intellectus  
 etià omniū creaturarū cognitionis  
 capax est, & adeo etià ipsi<sup>9</sup> sui Crea-  
 toris, ita ut nihil plane reperias in  
 quod ille oculorū suorum acie non  
 cōijciat. Potest ergo ille cognoscere



*Arist. 2.  
Met. c. 1.  
& l. 9. c.  
12 & 1.  
de part.  
anim.  
c. 5.*

naturas elementorum, mineralium, plantarum, bestiarum, calorum, angelorum, Dei; potest inquam, non absolutè, non perfectè, non ita plenè nulla ut ad hanc scientiam fieri possit accessio: nam & in diuinis rebus instar noctuæ ad solem caligare hominem fas est, etsi omnium plane naturarum capax sit, cum cunctarum perfectiones in se vnicè complectatur. Atque hinc illud est quod promiscuè de omnibus omnino rebus sermonem instituumus quid modo de aquis, modo de lapidibus, nunc de fulmine, nunc de pluvia disceptamus: atque ita disceptamus, ut perfectiones illæ fundamentum longè nobilius in intellectu habeant, quam in rebus ipsis: siquidem Leonis Esse & natura quæ in Leone est, caduca, corporea, & interitui obnoxia est, quæ vero iam per cognitionem in Intellectu sculpiatur, ut spiritualis, ut immortalis est, ita eiusdem plane cælaturæ existimatur, cuius ipsa materia in qua incisa & efficta est: ergo etsi omnes iam Leones è rerum natura tollantur,



tur, intellectus tamen humanus il-  
 lorum cognitionem & scientiam,  
 quam semel apprehendit perire a-  
 mittereque non potest. Idcirco Ari- *Arist. 2*  
 stoteles causam redditurus, cur ocu- *de anim.*  
 lus rem absentem intueri non pos- *c. 5.*  
 sit, cum tamen Intellectus qui ani-  
 mæ quidam velut oculus est, ea et-  
 iam contempletur quæ absunt, qua-  
 que aliquando cognouit, ait ideo il-  
 lud fieri, quia imago obiecti cor-  
 porei effugit ac nequaquam in sen-  
 sibus permanet, rerum autem se-  
 mel cognitarum perceptio & ad-  
 umbratio infixæ est, & in anima re-  
 manet, velut in subiecto perenni  
 & nunquam morituro: vnde om-  
 nino efficitur quod Intellectus per-  
 petuo suum obiectum secum ha-  
 beat, illud videre, spectare & con-  
 templari possit, cum in oculo cor-  
 poreo contrarium fiat, qui exter-  
 na assumere debet & mutuari. Ho-  
 mo ergo omnes omnino res in se  
 potest continere, & si nihil non  
 sciret, iam reuera omnia inge-  
 nio suo complecteretur. Nunc  
 quemadmodum illud etiam recep-



rum ac familiare nobis est, vt cum honorificè admodum de Medico, de Iureconsulto, aut alio quopiam Doctore sensuri sumus, illud fere dicere soleamus, Iurisprudentiam, Medicinam, doctrinam, si perderetur, si amitteretur, in illius cerebro quærendam rursus videri: ita nos reuera de Macrocosmo nostro dicere possumus, eum si in statu suo permansisset, si omnia quæ potest didicisset, creaturas plane vniuersas, si perdi, si amitti eas contigisset, in illius anima quærendas fuisse & repriendas, nimirum propter insignem illam capacitatem, quam ei **DEVS** elargitus fuit, quo omnium omnino rerum formam ac perfectionem in se contineret. Quid iam ergo de admirabili isthoc mundo dicturi sumus? qui adeo vastus, adeo magnus & spatiosus est, vt in vna partium suarum mundum vniuersum concludat, & ita iuxta paruum, vt ea ipsa pars cuius beneficio maximus est, quantitatis omnis expers esse iudicetur? & quid de  
Archi-



Architecto allaturi sumus, qui eum condidit ac fabrefecit? Quod si istiusmodi sculptor reperiretur aliquis, qui in exigua gemmula omnium plane animalium formas effingere posset & repræsentare, an non ille ad cælum vsque laudibus efferetur, instar Phœnicis in omnium oculis habitaret, opus verò ipsum ut Idæa aliqua in Palladis arce collocandum commendaretur? Quod si Timantes etiã ille, qui in tabella denarij instar môstrofæ magnitudinis Cyclopem, & circa eũ Satyros pollicem illi vna metiētes viuis coloribus adūbrauit, ab vniuersa Græcia honoratus fuit & collaudatus: quid si & ille, qui Galeni ætate in paruula aris portiuncula Phaetontem solis aurigã cum quatuor maximis equis currum trahentibus efformauit, nomē suũ cum immortalitate coniunxit: si Myrmecides laudem æternam consecutus est, q̄ ex ebore currũ cũ quatuor rotis effinxerit, quẽ musca vna ala tegere poterat, & nauim cũ vniuersa supellectile sculpserit, quam apis alis suis velare: si denique

*Plin. lib.*

*35. c. 10.*

*Galen. de*

*vsup. lib.*

*17.*



*Homeri  
Ilias in  
perga-  
meno  
minutif-  
simo de-  
scripta.  
Plin. l. 7.  
c. 22.*

is nomen est, & erit quam diu ho-  
mines erunt, qui quatuor & vigin-  
ti libros Iliados Homericæ, hoc  
est, quinque millia sexcenta, no-  
naginta septem carmina in mini-  
mo pergameno, quod nucis cor-  
tice concludi poterat, descripsit;  
cur non etiam nos peritissimum il-  
lum ac sapientissimum artificem  
collaudemus, à quo omnes isti sua  
didicerunt hauseruntque? qui post-  
quam modo incomprehensibili An-  
gelorum intellectui omnium om-  
nino rerum cognitionem insculp-  
fisset, earundem etiam hominem  
compotem effecit, & in illius in-  
tellectu vastum & immane istud  
vniuersitatis theatrum, cum omni-  
bus partibus & ornamentis, non  
velut in exiguo spatio corporeo,  
sed in subiecto spatij corporisque  
expertè, lineamentis belle subtili-  
bus & admirandis adumbravit? Ve-  
rum ecquid aliud dicere possumus,  
quam Deum hunc, Deum mirabi-  
lium esse, dignum honore, dignum  
amore, dignum adoratione? Et quid  
aliud de primario illius opere, ho-  
mine



mine in quam, statuemus, quam duplicem eum mundum fabrefecisse, quorum alter imago Dei sui est, cuius intelligentiam Plato mundum archetypum nominavit: alter imago vniuersi, & vt vno verbo absoluiam, quam macrocosmum eum esse appellandum? Et quis denique non maioris virtutem illam faciet quæ complures scientias intellectui imprimit, memoriæ inserit, ei que vt intellectus thesaurariæ concedit, quam vel illam quæ eas in exigua scheda depingere, aut in gemmula aliqua potest efformare? quis non potius admiretur Homeri Iliada aliquem ingenio complecti, memoria sepius, quam eandem aut in pergameno scribere, aut nucis cortice occultare? At quanti hoc erat in nucis aut exiguo illo pergameno tantum carminum contineri? certè memoria quæ spiritualis & immortalis quædam lamina est, vbi iam quinque millia versuum addiderit, tantum abest ijs vt grauetur, excitatior alacriorque efficitur, & ad indices plura recipienda idonea sit. Plane



enim id experiētia docet, eū quoti-  
 die aliquid memoriæ mandat, tanto  
 accōmodatiore ad lōge plura effici,  
 quāto ampli⁹ ingerit atq; cōcredits  
 & intellectum, quo plura didicerit,  
 hoc acutiore fieri & excitatiorem:  
 quēadmodū euidenter in Tyronibus  
 literariæ militiæ apparet, quib⁹ ipsi  
 classiū mutatarū gradus, nescio quid  
 lucis afferūt & sciētia imbuunt vsq;  
 & vsq; perfectiori: intellect⁹ nam-  
 que Aristotele teste, in infinitū cur-  
 rit, nullis limitibus circūscribitur,  
 nullis regionib⁹ clauditur, sed quē-  
 admodū ad maximū etiam numerū  
 accessio fieri potest, ita augeri illud  
 sēper scientia aliqua & noua rei cu-  
 iuspiā cognitione: quod volūtatē et-  
 iā contingere palā ac contestatū est,  
 quę quāto plus & ardētius rē quam-  
 piā amarit, tanto amplius amore fla-  
 grat: sicq; & in p̄bis, rerū caducarū,  
 & bonis Dei solius amor indies cre-  
 scit atque augetur. Sunt ergo plane  
 hęc omnia istiusmodi, quę declarēt,  
 hominē macrocosmū esse, quippe q̄  
 mūdum vniuersū ingenio cōplecti,  
 memoria sepire, & oēs illius partes  
 volun-

*Arist. 3.  
 Phys. c.  
 43.*



voluntate ambire contingereque possit. Denique sicut omnium rerum insensibilium virtutibus ac potentijs adinuari mirabiliter potest, ita suam ille quodammodo facere omnium animalium industriam, eamque haud aliquanto nobiliorem reddere, sua dexteritate exornare, arteque potest excolere: ita ut glossa ipso textu melior luculentiorque videri haberi que incipiat. Nam cum ab hirundine ædificandi rationem didicerit, quoties tu discipulum hunc magistrã suam superasse, quam longo spatio post se reliquisse, quam denique quodammodo præire illi voluisse arbitraris? Iam & medicinam nõ nisi ab animantibus hausit, quam tamẽ ille iam nunc, Deus bone, quã omnib<sup>9</sup> exactius, certi<sup>9</sup>, perfectiusque callet? quin & natandi peritiam anantibus debet, quibus quando ille non velocius, non certius, non peritius aquis innatat, easque transcurrit? Porro quo euidentis manifestumque exemplũ statuamus aliquod, ab Araneo texendi præcepta artemque accepit: & tamen quis illius tela



cum pannis Hollandicis, Camera-  
censibus, Turcicisque comparare:  
cum cannabinis, cum lineis, cum  
gossibinis, & innumeris alijs omnis  
generis mira florum colorumque  
venustate distinctis aulaeis commit-  
tere componereque ausit? At dices  
tu mihi fortassis hoc loco quod an-  
tea, nimia isthæc omnia esse, cau-  
samque reapse videri, cur ijs homi-  
nes abutantur, & foedissimo flagi-  
tiorum cæno sese immergant. Fate-  
borque sane perlubenter illud, &  
tantum abest vt inficier, in alijs et-  
iam compluribus rebus querelam  
hanc deponi posse contendo, quas  
aut ab animalibus hausit, aut indu-  
stria solertiaque propria excogita-  
uit: adeo vt cum hæc felicitas rerum  
inueniendarum, quæ in bestijs vir-  
tus non est, in illo quàm maximè  
istiusmodi esse deberet, ille contra-  
rium faciens & transuersum abi-  
ens, istud quod in animantibus cul-  
pari non poterat, in se vitium fece-  
rit: cumque eum formica prouiden-  
tiam, columba simplicitatem, ser-  
pens prudentiam, agnus sincerita-  
tem,



tem, magnanimitatem Leo, pudicitiam turtur docere oporteret, à Leone crudelitatem discere maluerit, furta à Cornice, fraudes à Vulpe, voracitatem à Lupo, perfidiã à Crocodilo, sordes à Porco, inuidiam à Cane: & abutendo proprio suo arbitrio, ipsam in se ferociam & barbariem generare, rapacitatem depingere, dolos ferere, gulam, perfidiam, luxuriam, inuidiamque profeminare: & vt vno verbo dicã vniuersam bestiarum naturam indifferentem monstrosa metamorphosi in vitia & vituperia commutare, potius totius Vniuersi fabula & ludus, quam eiusdem honor thesaurusque esse voluerit. Hoc nimirum nunc hominis vitium, hæc arrogantia, hæc ignorantia, hæc ingratitude est; hic infernus etiam illius erit, nisi maturè resipiscens, aliud viuendi institutum persequatur. Neque verò hæc istiusmodi sunt, vt obesse videantur, quo minus luculenter immensam animæ capacitatem intelligamus, quæ omnium naturas in suam dexteritatem commutare, &



in se mirabiliter augere potest & illustrare, sed potius multitudo illarum rerum quas operatur, etsi cum abusu insigni fiat: euidenter admodum Creatoris bonitatem ac liberalitatem declarat atque demonstrat, qua Creaturam suam adeo prodige locupletauit, adeo patienter tolerauit; quasi que ad oculos ostendit, quod quemadmodum homo mundi finis est, ita eum quoque mundum vniuersum concludere, dignissimum plane videri, qui communibus suffragijs macrocosmi nomine afficiatur. Verum quoniam haec in animasatis superque declarauimus, ad corpus transeamus.

*Homo  
mundi  
finis. Ar.  
2. Phys. c.  
2.*

*Hominem corporis etiam respectu esse  
macrocosmum.*

COLLOQUIUM LXVI.

THEO. **N**VNC ergo si magnitudinem corporis quantitate metimur, iam illud etiam certum & indubitatum est, mundum hunc macrocosmum esse, hominem vero si diximus microcosmum: si autem excellentia & perfectionis potius capaci-